

LITTERAE LATINAЕ
PER SE ILLUSTRATAЕ

pars prima

AD LECTOREM

Hōc libellō opera continentur auctōrum Latīnōrum quae legī possunt ūnā cum *Familia Rōmānā* librō. Libellum ergō ēdimus eī in ususm quī antīquōrum verba velit legere quam prīnum poterit.

Altera opusculī pars post *Familiam Rōmānam* librum legenda est. Hīc varia aguntur *per ut aiunt saturam*; maximē Senecae ad Lūcīlium epistulae.

Libellus est ā sodālibus societatis ēdītus q. e. *Antībarbarī*. Nōmina sodālīum in ultimā librī pāginā invenīrī possunt.

INDEX RERVM

	<i>ad FR cap.</i>	<i>fōns</i>	<i>pāgina</i>
Ōdī et amō	VI	Cat. LXXXV	4
Pāstor bonus	IX	Iōann. X 11–16.	5
Novus diēs	XIII	Ps.–Dos. <i>Herm.</i>	6
Unde sumus?	XX	Ovid. <i>Met.</i> XV 165–172	7
Ariadna relicta	XXVI	Ovid. <i>Her.</i> X 3–24	8
Vīta beāta	XXVII	Hor. <i>Ep.</i> II 1–28	10
Philosophandum est	XXXI	Sen. <i>ad Luc.</i> XVI 4.1–5.5	11

post Familiam Rōmānam legenda

Tempus tantum nostrum est	Sen. <i>ad Luc.</i> I	12
Tū quid?	Sen. <i>ad Luc.</i> XXXIII	14
Rērum cāsūs	Verg. <i>Georg.</i> II 470–494	16
Vīta deōrum	Enn. <i>Euh.</i>	18
Per litterās cōnsōlātiō	Cic. <i>ad Att.</i> XII 14 3 1–16	21

ODI ET AMO

Catulli LXXXV carmen

*Mēdus sōlam Lydiam amat, nōn aliam fēminam. Ecce Catullus, qui
nōn tam probus est quam Mēdus, nam is amīcam suam et amat et nōn
amat. Itaque laetus nōn est.*

Ōdī et amō. Quārē id faciam, fortasse requīris?

Nescio; sed fierī sentiō — et excrucior.

ōdī <-> amō
quārē = cūr
faciam = agō
requīris = interrogās
nesciō = 🤔
fierī = facere *inf pass*
sentiō < sēnsūs
fierī sentiō = sentiō (id) fierī
excrucior :



vir cruciātus

PASTOR BONVS

ex Iōanne X

Iēsus Christus est pāstor bonus qui ovēs suās, viros Christianos fēmināsque, ad lūcem dūcit.

Ego sum pāstor bonus; bonus pāstor animam suam pōnit

prō ovibus; mercennārius et, qui nōn est pāstor, cuius nōn

sunt ovēs propriae, videt lupum venientem et dīmittit ovēs et

fugit — et lupus rapit eās et dispergit — quia mercennārius

est et nōn pertinet ad eum dē ovibus.

Ego sum pāstor bonus et cognōscō meās, et cognōscunt mē

meae, sīcut cognōscit mē Pater, et ego cognōscō Patrem; et

animam meam pōnō prō ovibus.

Et aliās ovēs habeō, quae nōn sunt ex hōc ovīlī, et illās oportet

mē addūcere, et vōcem meam audient et fīent ūnus grex,

ūnus pāstor.

lūx, lūcis *f* < lūcet

anima -ae *f* = vīta


mercennārius -ī *m*: qui pascit ovēs ut
pastor, sed accipit pecuniam a domino
ovium

ovēs nōn propriae: ovēs non eius sunt,
ipse ovēs nōn habet

lupum venientem: lupum qui venit
dīmittit: imperat discēdere

fugit: currit ab

rapit: sumit et cum iīs discēdit



lupus ovēs
dispergit

nōn pertinet ad eum dē ovibus:
mercennārius ovēs nōn amat

cognōscō = sciō

meās ovēs ... meae ovēs

sīcut = ut



ovīle -is *n* :
ubi ovēs habitant

oportet: convenit

addūcere = ad-dūcere

audient: uidunt *fut*

fīent: faciunt *fut pass*

vōx, vocis *f* < vocāre



grex, gregis *m* :
magnus numerus
ovium

NOVVS DIES

ex Pseudo-Dosithei Interpretāmentis

Māne nōn sōlum Mārcus sed etiam aliī puerī ē lectīs surgunt lūdumque petunt. Quod omnēs puerī Rōmānī māne agere solent hīc scribitur. Vide tempus perfectum!

Ante lūcem vigilāvī dē somnō;
surrēxī dē lectō,
sēdī,
accēpī pedūlēs, caligās;
calciāvī mē;
poposcī aquam ad faciem;
lavō prīmō manūs, deinde faciem lāvī;
extersī.
dēposuī dormītōriam;
accēpī tunicam ad corpus;
praecīnxī mē;
ūnxī caput meum et pectināvī;
fēcī circā collum pallam;
induī mē superāriam albam, suprā induō paenulam.
prōcessī dē cubiculō cum paedagōgō et cum nūtrīce
salūtāre patrem et mātrem.
ambōs salūtāvī et
ōsculātus sum,
et sīc dēscendī dē domō.

vigilō -āvī
surgō -rēxī
sedeō, sēdī
acciō -cēpī
pedūlēs < pedēs
caliga -ae f: calceus altus
caclō -āvī : calceōs in pedēs pōnere
poscō, poposcī
prīmō = prīmum
lāvō, lāvī
ex-tergeō, extersī
dē-ponō, -posuī
dormītōria -ae f: vestīmenta in quibus
dormīmus
prae-cingō, -cīnxī : līneam pōnere
circum corporis partem ubi venter est
ungō, ūnxī pectinō -āvī



faciō, fēcī
circā = circum
palla -ae f superāria -ae f; paenula -ae f
: vestīmenta Rōmāna Graecaque
induō, induī
prōcēdō - cessī = exeō
paedagōgus -ī m : servus quī puerōs in
lūdum dūcit
nūtrīx -īcis f: fēmina quae līberīs
cibum dat
ambō, ae, ū: uterque
salūtō -āvī
ōsculor, ūsculatus sum : ūsculum dare
dēscendō -scendī

VNDE SVMVS?

ex Ovidiī Metamorphōseōn librō XV

Familia Iūliī augētur; Aemilia enim mox īfantem habēbit. At quōmodo fit homō novus? Quisque homō ex animā et corpore cōstat. Post mortem anima, quae est rēs immortālis, trānsit in corpus novum. Anima ergō īfantis, quamquam novum est corpus, in aliō corpore anteā vīvēbat. Sīc docet Pȳthagorās, philosophus Graecus, cuius doctrīnam hīs verbīs Ovidius explānat.

Omnia mūtantur, nihil interit: errat et illinc

hūc venit, hinc illūc, et quōslibet occupat artūs

spīritus ēque ferīs humāna in corpora trānsit

inque ferās noster, nec tempore dēperit ullō,

utque novīs facilis signātur cēra figūrīs

nec manet ut fuerat nec fōrmam servat eandem,

sed tamen ipsa eadem est, animam sīc semper eandem

esse, sed in variās doceō migrāre figūrās.

Ovidius -ī m : poēta Rōmānus

Metamorphōsēs -eōn f: titulus

Odiviī librī

mors, mortis f < mortuus

im-mortālis, e : quī mortuus esse nōn potest

doctrina, ae f < doceō

mūtārī : prīmum ūnam fōrmam habēre, deinde alteram

interit < inter-it <-> vīvit

ubi? hīc et illīc quō? hūc et illūc

unde? hinc et illinc

occupāre < ob-capere

artūs -uum pl = corpus

quōslibet artūs: id corpus occupat

spīritus, quod vult

spīritus, ūs m = anima

ēque ferīs: et ex ferīs

trānsit < trāns-it

noster: spīritus noster

dēperit < dē-per-it = interit

facilis: mollis

facilis cēra novīs figūrīs signātur: mollis

cēra multās fōrmās habēre potest

fuerat : erat *praeteritum*

plūsquā perfectum

servat = habet

ipsa cēra

ut cera ... sīc anima

migrāre = trānsīre

doceō ‘animam semper eandem esse,

sed in variās figūrās migrāre’

ARIADNA RELICTA

ex Ovidiī Epistulīs Hērōidum X

Ariadna Naxī relicta scripsit ad Thēseum epistulam quā nārrat suōs dolōrēs.

Quae legis, ex illō, Thēsēu, tibi lītore mittō
unde tuam sine mē vēla tulēre ratem,
in quō mē somnusque meus male prōdidit et tū.

< ... >

Tempus erat, vitreā quō prīmum terra pruīnā
spargitur et tēctae fronde queruntur avēs.

Incertum vigilāns ac somnō languida mōvī
Thēsēa prēnsūrās sēmisupīna manūs –
nūllus erat! Referōque manūs iterumque retemptō,
perque torum moveō bracchia – nūllus erat!

Excussēre metūs somnum; conterrita surgō,
membraque sunt viduō praecipitāta torō.

Prōtinus adductīs sonuērunt pectora palmīs,
utque erat ē somnō turbida, rupta coma est.



pruīna -ae *f*

ea verba quae legis

tulēre = tulērunt | ratis -is *f* = navis

prōdidit : fefellit

vitreus -a -um = clārus ut vitrum (ē
vitrō specula et pōcula faciunt)

pruīna -ae *f* = aqua frīgida quae nocte
in herbā terrāque appāret hieme sīve
vēre

terra pruīnā spargitur : terra pruīnā
operītur

frōns, frondis *f* = multitūdō fōliārum
tēctae fronde : occultae foliīs

queruntur avēs : avēs canunt
languidus -a -um = fessus, dēbilis

Thēsēa = Thēseum

prēnsūrās : quia prehendere volō
sēmisupīna = semi-iacens

re-ferō | re-temptāre = rūrsus conāri
torus -ī *m* = lectus coniugum

ex-cussere -io = ex-pulso

ex-cussēre = excussērunt

excusssit metus somnum

conterritus = perterritus

viduus -a -um : sine alterā parte

praecipitāre = citō movēre

prōtinus *adv* = continuō, statim

utque = et ut

coma -ae *f* = capillus

et (coma) ut erat ē somnō turbida,
rupta est

Lūna fuit; spectō, sīquid nisi lītora cernam.

Quod videant oculī, nīl nisi lītus habent.

Nunc hūc, nunc illūc, et utrōque sine ūrdine, currō;
alta puellārēs tardat harēna pedēs.

Intereā tōtō clāmāvī in lītore “Thēsēu!”:

reddēbant nōmen concava saxa tuum,

Et quotiēns ego tē, totiēns locus ipse vocābat.

Ipse locus miserae ferre volēbat opem.

sīquid = sī quid | sī : num
spectō, num aliquid cernam *praeter*
litora
nīl = nihil | nīl nisi = tantum, solum
oculī *vident* nihil nisi litus
in utrōque *loco*
1 2 3 4 5 *in ūrdine* 2 5 4 1 3 *sine ūrdine*
puellāris -e < puella
harēna -ae f = parvī lapidēs ē quibus
cōnstat lītus
tardat harēna pedēs : pedēs propter
harēnam nōn bene movēntur
tōtō clāmāvī in lītore : per tōtum lītus
con-cavus -a -um = nōn rectus
quotiēns? *semel, bis, ter...*
quotiēns ego tē *vocābam*
quotiēns... totiēns
ferre volēbat opem : volēbat ferre
auxilium

VITA BEATA

ex Horātiī Epōdō II

*Rūs Iūlīum dēlectat multōsque aliōs Rōmānōs. Ecce carmen Horātiī, qui
vītam rūsticam magnificīs verbīs laudat.*

Beātus ille, qui procul negōtiīs,

ut prīsca gēns mortālium,

paterna rūra bōbus exercet suīs

solutus omnī faenore.

<...>

libet iacēre modo sub antīquā īlice,

modo in tenācī grāmine –

lābuntur altīs interim rīpīs aquae,

queruntur in silvīs avēs,

frondēsque lymphīs obstrepunt mānantibus,

somnōs quod invītet levēs.

epōdus -i m : genus carminis

prīscus, a, um = antīquus
paternus, a um < parentes
bōbus abl pl bōs
rūra exerceō = agrōs cōlō
faenus -oris n : pecūnia dēbita

libet: dēlectat
modo ... modo = nunc ... nunc
īlex, ilicis f = arboris genus
tenāx, ācis : sī multae rēs in parvum
locum collēctae, tenāx est locus (sīve
dēnsus)
grāmen -inis n = herba
aquaē lābuntur : aqua deorsum cadit

avēs queruntur : avēs canunt
frondēs -ium f = folia
frondēs obstrepunt : folia ventō
moventia strepitum faciunt ut aqua
fluēns
lymphā -ae f = aqua
mānō = fluō
invitō = vocō

PHILOSOPHANDUM EST

ex Senecae epistula XVI ad Lucilium

Quōmodo vītam agere dēbet? Vīnum est semper bibendum? Sīc putat Iūlii amīcus Orontēs. Philosophīs vērō altera est sententia. Philosophandum est, inquit Seneca, nam philosophia nōs ā malīs dēfendere potest.

Dīcet aliquis, 'quid mihi prōdest philosophia, sī fātum est? quid prōdest, sī deus rēctor est? quid prōdest, sī cāsus imperat? Nam et mūtārī certa nōn possunt et nihil praeparārī potest adversus incerta, sed aut cōnsilium meum occupāvit deus dēcrēvitque quid facerem, aut cōnsiliō meō nihil fortūna permittit.'

Quidquid est ex hīs, Lūcīlī, vel sī omnia haec sunt, philosophandum est; sīve nōs inexōrābili lēge fāta cōnstringunt, sīve arbiter deus ūniversī cūncta disposit, sīve cāsus rēs hūmānās sine ūrdine impellit et iactat, philosophia nōs tuērī dēbet.

Seneca -ae : philosophus Stoicus
Lūcīlius -ī m : amīcus Senecae

prōdest = iuvat
fātum ī n = id quod certō fīet
rēctor = gubernātor
cāsus = id quod subitō accidit
certa = rēs certae
praeparārī = parātum esse
incerta = rēs incertae
occupāre < ob + capere
dēcernere crēuisse = cōnstituītūre
quid facerem = id quod facio
permittit = sinit

quidquid = sī aliquid
philosophandum est = philosophari
debet
inexōrābilis -e = dūrus
lēx, lēgis f
cōnstringere = vincīre (tenēre)
arbiter -trī m < arbitror
dis-pōnere posuisse positum
ūniversus -a -um = cūnctus -a -um =
omnis -e
ōrdo -inis m
impellere = turbāre
tuērī = dēfendere

TEMPVS TANTVM NOSTRVM EST

ex Senecae epistula I ad Lucilium

Nihil pretiosius est quam tempus. Itaque servanda est nōbīs quaeque hora.

Ita fac, mī Lūcīlī: vindicā tē tibi, et tempus quod adhūc aut auferēbātur aut subripiēbātur aut excidēbat collige et servā.

Persuādē tibi hoc sīc esse ut scrībō: quaedam tempora ēripiuntur nōbīs, quaedam subdūcuntur, quaedam effluunt.

Turpissima tamen est iactūra quae per neglegentiam fit. Et sī volueris adtendere, magna pars vītae ēlābitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tōta vīta aliud agentibus.

Quem mihi dabis quī aliquod pretium temporī pōnat, quī diem aestimet, quī intellegat sē cotīdiē morī? In hōc enim fallimur, quod mortem prōspicimus: magna pars eius iam praeterit; quidquid aetātis retrō est mors tenet.

Fac ergō, mī Lūcīlī, quod facere tē scrībis, omnēs hōrās conplectere; sīc fīet ut minus ex crāstinō pendeās, sī hodiernō manum iniēcerīs. Dum differtur vīta trānscurrit. Omnia, Lūcīlī, aliēna sunt, tempus tantum nostrum est.

Seneca -ae : philosophus Stoicus
Lūcīlius -ī m : amīcus Senecae

vindicāre = pōscere
au- < ab- : au-ferre
sub-ripere < sur-ripere
ex-cidere < ex-cadere
colligere = sūmere

sub-dūcere = fūrārī
effluere < ex-fluere
neglegentia -ae f < neglegēns
volueris adtendere < attendere =
attentus es audiendī
et sī volueris adtendere = et sī volueris
adtendere, (dicam tibi):
aliud = aliēnum

aliquod pretium temporī pōnat= alicuius pretī tempus aestimet

praeterīre < praeteritus = trānsīre
aetās -ātis f = tempus nostrum, vīta
retrō = anteā
conplectere < complectere
crāstīnus -a -um < crās = diēs
crāstīnus
pendēre = dēpendēre
hodiernus -a -um < hodiē = diēs
hodiernus
inicere = impōnere
(res) differtur = res ē diē hodiernō in
diem futūrum pōnitur
trānscurrere < trāns-currere =
praeterīre

<...>

Interrogābis fortasse quid ego faciam quī tibi ista praecipiō.

Fatēbor ingenuē: quod apud luxuriōsum sed dīligentem ēvenit, ratiō mihi cōnstat impēnsae. Nōn possum dīcere nihil perdere, sed quid perdam et quārē et quemadmodum dīcam; causās paupertātis meae reddam. Sed ēvenit mihi quod plērīsque nōn suō vitiō ad inopiam redāctīs: omnēs ignōscunt, nēmō succurrit. Quid ergō est? nōn putō pauperem cui quantulumcumque superest sat est; tū tamen mālō servēs tua, et bonō tempore incipiēs. Nam ut vīsum est māiōribus nostrīs, 'sēra parsimōnia in fundō est'; nōn enim tantum minimum in īmō sed pessimum remanet. Valē.

praecipere = docēre
ingenuē = sine falsō; ut vērē putō
luxuriōsus = pecūniōsissimus
dīligens ↔ neglegēns
ēvenīre < ex-venīre = fierī
ratiō = numerus
mihi cōnstat = egō sciō
impēnsa -ae *f* = quae impēnsa sunt
quemadmodum = quōmodo
vitium -i n ↔ virtūs
redigere redēgisse redāctum < re(d) +
agere = cōgere
succurrere = adiuvāre
quantulumcumque = tam parvum
quam posse
sat = satis
mālle = magis velle
mālō tū servēs tuā = mālō tē servāre
tua
sērus = tardus
parsimōnia -ae *f*: qui parsimōniā habet, pecuniam suam bene cūrat

TV QVID?

ex Senecae epistula XXXIII ad Lucilium

Lūcīlius in epistulā suā rogāvit ut Seneca aliquās sententiās ex librīs nōtissimōrum scriptōrum daret. Seneca autem nōn vult ita facere quia putat omnēs partēs scīre oportēre. Atque monet nōn sōlum librōs legere necesse, sed etiam ipsum cōgitāre.

Dēsiderās hīs quoque epistulīs sīcūt priōribus adscrībī aliquās vōcēs nostrōrum procerum.

<...>

Dēpōne istam spem posse tē summātim dēgustāre ingenia maximōrum vīrōrum: tōta tibi īspicienda sunt, tōta tractanda.

<...>

Puerīs et sententiās ēdiscendās damus et hās quās Graeci chriās vocant, quia complectī illās puerīlis animus potest, quī plūs adhūc nōn capit.

<...>

Seneca -ae : philosophus Stoicus

Lūcīlius -ī m : amīcus Senecae

dēsiderāre = velle

ad-scrībere (+ dat.)

vōcēs = verba

procerēs, erum = virī optimī

dē-pōnere

summātim ↔ studiōsē

dēgustāre = incipere edere

ingenium -ī n = nātūra animī

īn-spicere = aspicere, spectāre

tōta tibi īspicienda sunt = tibi oportet

tōta īspicere

tractāre = tangere, discere

ē-discere = memoriae dare

sententia ēdiscenda = sententia, quam

ēdiscere oportet

chrīa -ae f = sententia cum

commentāriō

complectī = intellegere

puerīlis -e < puer

turpe est enim senī aut prōspicientī senectūtem ex
commentāriō sapere. 'Hoc Zēnōn dīxit': tū quid? 'Hoc
Cleanthēs': tū quid? Quousque sub aliō mōveris? imperā et
dīc quod memoriae trādātur, aliquid et dē tuō prōfer.

<...>

Aliud autem est meminisse, aliud scīre. Meminisse est rem
commissam memoriae cūstōdīre; at contrā scīre est et sua
facere quaeque nec ad exemplar pendēre et totiēns respicere
ad magistrum. 'Hoc dīxit Zēnōn, hoc Cleanthēs.' Aliquid
inter tē intersit et librum. Quousque discēs? iam et praecipe.

senex senis *m* = vir annōrum plūs
quam LX
prōspiciens senectūtem = quī mox
senex erit
Zēnōn, Cleanthēs
commentārius -ī = sententiae, quae
scriptum planum faciunt
sapere = sapiēns fierī
quousque = ūsque ad quod tempus
sub aliō = sub imperiō alterius
dē tuō = quod tū ipse cōgitās
prōferre = prōmtere

meminisse = memoriā tenēre
committo -mīsī -missum -ere = trādere
exemplar -āris *n* = exemplum ex
omnibus exepmlīs optimum
ad exemplar pendēre = exemplō pārēre
totiēns = totiēs, tam saepe, prope
semper
re-spicere ↔ prō-spicere
aliquid inter tē intersit et librum = es
aliquid inter tē et librum!
iam et praecipe = tempus est
praecipere
praecipere = docēre

RERVM CASUS

ex Vergili Georgicis II

In quattuor librīs Geōrgicārum poēta Vergilius labōrēs agricolārum nārrat. Etsī ipse Vergilius docet vītam optimam esse sī cōnāmūr cāsūs rērum cognōscere, vītam agricolārum nōn minus esse sentit fēlīcem quam philosophōrum. Beātī et agricolae et philosophī sunt, quia sine dolōribus vivunt ac sine metū mortis.

[Rūrī] mūgitūsque boum mollēsque sub arbore somnī

nōn absunt; illīc saltūs ac lustra ferārum

et patiēns operum exiguōque adsuēta iuentūs,

sacra deum sānctīque patrēs; extrēma per illōs

Iūstitiā excēdēns terrīs vestīgia fēcit.

Mē vērō prīmū dulcēs ante omnia Mūsae,

quārum sacra ferō ingentī percussus amōre,

accipiant caelīque viās et sīdera mōnstrent,

dēfēctūs sōlis variōs lūnaeque labōrēs;

unde tremor terrīs, quā vī maria alta tumēscant

ōbicibus ruptīs rūrsusque in sē ipsa residant,

quid tantum Ōceanō properent sē tingere sōlēs

hībernī, vel quae tardīs mora noctibus obstet.

mūgītūs -ūs *m* : bovēs mūgiunt *mū-mū*

boum *gen pl bōs*

illīc : in agrīs

saltūs -us *m* = silva

lustrum -ī *n* : domus bēstiae ferae

adsuētus -ā -um = solitus < solēre solitum
esse

iuentūs exiguō adsuēta : iuentūs cui

paulum satis est

sacra deōrum

sacrum -ī *n* : rēs deōrum

sānctus, a um : homo summā virtūte

extrēmus = ultimus

Iūstitia -ae *f* : Dea virtūtis

ex-cēdēns = abiēns

excēdēns ā terrīs

ferō sacra : dōna Mūsae offerō



dēfēctus sōlis

rogō ut Mūsae mē accipiant et mōnstrent

*sīdūs -eris *n* : stēllae quae figūram
efficiunt*

tumēscāre : turbidum facere

*ōbex, obicis *m* = quasi mūrus, quī mare
retinet*

residere = dēscendere, minor fieri

quid = cūr

Ōceanō = in Ōceanum

tingere = mergere, in aquam īre

hībernus -ā -um < hiems

obstāre = nōn sinere, moram facere

<...>


Fēlīx quī potuit rērum cognōscere causās
atque metūs omnīs et inexōrābile fātum
subiēcit pedibus strepitumque Acherontis avārī:
fortūnātus et ille deōs quī nōvit agrestis
Pānaque Silvānumque senem Nymphāsque sorōrēs.

inexōrābile fātum = fātum fortissime,
quod hominibus nōn pāret neque
mūtāri potest
subiēcit pedibus = fātum iacit sub
pedēs suōs (putat fatum parvī pretiī
esse)
Acherōn, Acherontis *m* = flūmen
īnfernū (quod sub terrā fluit)
fortūnātus, *a*, *um* = fēlīx
deī agrestēs < ager = quī in campīs,
silvīs et flūminib⁹ habitant
Pān (acc. Pāna) = deus pāstōrum
Silvānus, ī *m.* = deus silvārum
Nympha, ae *f* = dea rērum nātūrālium

VITA DEORVM

ex Ennii *Euhemero*

Haec fābula dē antiquōrum deōrum vītae nārrat, praecipue dē pāce inter frātrēs Sāturnum Tītānumque factō et ruptō, dē bellō cum Tītānis ā Iove, filiō Sāturni, gestō atque dē Sāturni fugā, quī maleficiō Iovī parātō īram flii timēbat cum prīmum ille cōnsilium sē interficiendī sciit. Sānē deōs nāscī et morī, cōniugēs fierī aut sē oppugnāre mīrum esse vidētur. Sed tamen tālēs deōs quālēs hominēs mortuōs esse putāvit Euhemerus.



Haec Enniī verba sunt: “Exim Sāturnus uxōrem dūxit Opem.

Tītān, quī māior nātū erat, postulat ut ipse rēgnāret. Ibi Vesta, māter eōrum, et sorōrēs: Cerēs atque Ops, suādent Sāturnō, utī dē rēgnō nē concēdat frātrī. Ibi Tītān, quī faciē dēterior esset quam Sāturnus, idcircō et quod vidēbat mātrem atque sorōrēs suās operam dare utī Sāturnus rēgnāret, concessit eī ut is rēgnāret.

Ennius -ī *m* = poēta ac scrīptor
Rōmānus antīquus, quī saeculīs III et II ante Chrīstum nātum vīvēbat atque prīnceps artis poēticae Rōmānae fuit
prīnceps = quī prīmus aliquid esse fēcit
scrīptor -ōris *m* < scrībere
Euhemerus -ī *m* = scrīptor, mīthicus ac philosophus Graecus antīquus, quī saeculīs IV et III ante Chrīstum nātum vīvēbat ac deōs hominēs, etsī ēgregiōs, sed tamen mortālēs esse cēnsebat
mīthicus -ī *m* = quī fābulās dē diīs hominibusque deōrum gentis nārrat, quae ‘mīthōs’ appellantur

Sāturnus īnsidiās Iovī parat

exim = tum

Ops Opis *f*: dea frūgum et fertilitātis fertilitās -ātis *f* < fertilis

Tītān -ānis *m*, acc -um; pl -ī -ōrum

postulat (*bīc*) = postulāvit

ibi (*bīc*) = deinde, tum

Vesta -ae *f*: dea ignis domūs

Cerēs -eris *f*: dea vītae rērumque rūsticārum

utī = ut (*fortius*)

utī ... nē = nē

rēgnūm -ī *n* < rēx

con-cēdere -cessisse -cessum = parēre,

fatērī sē post aliquem esse

dēterior -ius *comp* = pēior

faciē d. = foedior

idcircō = ob hanc rem

operam dare = cōnārī

Itaque pactus est cum Sāturnō, utī, sī quid līberum virīle secus eī nātum esset, nē quid ēducāret. Id eius reī causā fēcit, utī ad suōs gnātōs rēgnū redīret. Tum Sāturnō filius quī prīmus nātus est, eum necāvērunt.

Deinde posterius nātī sunt geminī, Iuppiter atque Iūnō. Tum Iūnōnem Sāturnō in cōspectū dedēre atque Iovem clam abscondunt dantque eum Vestae ēducandum cēlantēs Sāturnum.

Item Neptūnum clam Sāturnō Ops parit eumque clanculum abscondit. Ad eundem modum tertīo partū Ops parit geminōs, Plūtōnem et Glaucom. (“Plūtō” Latīnē est “Dīs pater”, aliī “Orcum” vocant.) Ibi fīliam Glaucom Sāturnō ostendunt, at fīlium Plūtōnem cēlant atque abscondunt.

Deinde Glauca parva ēmoritur.”

<...>

pacīscī pactum esse = pācem cum aliquō facere
virīlis -e < vir
secus *indēcl n*
↙ ↘
fēmina vir
sī quid līberum virīle secus eī nātum esset, nē quid ēducāret = sī īnfāns masculus eī erit, eum nōn ēducābunt gnātus -a -um (= nātus): gnātī sunt līberī
tum Sāturnō filius quī prīmus nātus est, eum necāvērunt = tum fīlium Sāturnī prīmū necāvērunt

posterioris *adv* = post (*adv*)
dedēre = dedērunt
clam *adv* = cum ceterī nesciunt
abscondere = clam occultāre
ēducandum = ad ēducandum
cēlare (*hic*): c. + acc + acc = aliquid ē cōspectū alicuius sūmere et
abscondere

clam *prp+abl*: c. aliquō = cum aliquis nescit
clanculum *adv* = clam
ad eundem modum = eōdem modō
partus -ūs *m* < parere
Glauca -ae *f*
Dīs Dītis *m* < dīves
ē-morī = morī

“Deinde Tītān, postquam rescīvit Sāturnō fīliōs prōcreātōs, atque ēducātōs esse clam, sēdūcit sēcum fīliōs suōs quī Tītānī vocantur, frātremque suum Sāturnum, atque Opem comprehendit, eōsque mūrō circumēgit, et cūstōdiam hīs appōnit.”

<...>

Reliqua historia sīc contexitur: Iovem adultum, cum audīisset patrem atque mātrem cūstōdiīs circumsaēptōs atque in vincula coniectōs, vēnisse cum magnā Crētēnsium multitūdine Tītānumque ac fīliōs eius pugnā vīcissee, parentēs vinculīs exēmissee, patrī rēgnū reddidisse atque ita in Crētam remeāsse. Post haec deinde Sāturnō sortem datam, ut cavēret nē fīlius eum rēgnō expelleret; illum ēlevandae sortis atque effugiendī perīculī grātiā īnsidiātum Iovī, ut eum necāret; Iovem cognitīs īnsidiīs rēgnū sibi dēnuō vindicāsse, ac fugāsse Sāturnum. Quī cum iactātus esset per omnēs terrās persequentibus armātīs, quōs ad eum comprehendendum vel necandum Iuppiter mīserat, vix in Italiā locum in quō latēret invēnit.

rescīscere -scīvisse -scītum = nōscere
prōcreāre = parere
prōcreātus -a -um = nātus
sē-dūcere = persuādēre et dūcere sēcum
comprehendere = rapere et vincīre
circum-agere -ēgisse -āctum = cingere,
circum dare
cūstōdia -ae f < cūstōdīre

historia -ae f = fābula, nārrātiō
con-texere -texuisse -textum =
cōnficere, cōnstituere
adultus -a -um = quī iam nōn est
adulēscēns
audīsse = audīvisse
circum-saepīre -saepsisse -saeptum =
circum dare et cūstodīre
vinculum -ī n (sīcut catēna) < vincīre
con-icere (-iicere) -iō -iēcisse -iectum <
cum + iacere
Crētēnsis -is m
ex-imere -ēmisse -ēmptum (< ex +
emere) = solvere
re-meāre -meāsse (-meāvisse) = revertī
sors sortis f = quod in futūrō fiet
ex-pellere -pulisse -pulsum (< ex +
pellere): e. aliquō = ex aliquō locō
pellere
ē-levāre (ē + levāre) = aliquid leviōrem
facere aut ei impendēre
īnsidiārī (< īnsidēre < in + sedēre) =
clam maleficium aut impetum alicui
cōgitāre et parāre
īnsidiae -ārum f pl (< īnsidēre) = quod
aliquis īnsidiātur
vindicāre -āsse (-āvisse) (hīc) = aliquid
dēbitum poscere atque id sibi referre
cōnārī
fugāre -āsse (-āvisse) (↔ fugere) =
facere ut aliquis effugiat

PER LITTERAS CONSOLATIO

ex Ciceronis ad Atticum epistula

Hanc epistulam Cicerō scripsit ad amīcum Atticum post mortem filiae suae Tulliae, quam valde amābat. Tristissimus erat Cicerō et cōnābatur sē per litterās cōnsolārī. Scripsit etiam opus Cōnsolātiōnem dē quō in hāc epistulā dīxit, sed illud ad tempus nostrum nōn pervenit.

Quod mē ab hōc maerōre recreārī vīs, facis ut omnia; sed mē mihi nōn dēfuisse tū testis es. Nihil enim dē maerōre minuendō scrīptum ab ullō est quod ego nōn domī tuae lēgerim. Sed omnem cōnsolātiōnem vincit dolor. Quīn etiam fēcī, quod profectō ante mē nēmō, ut ipse mē per litterās cōnsolārer. Quem librum ad tē mittam, sī dēscrīpserint librāriī. Adfirmō tibi nūllam cōnsolātiōnem esse tālem. Tōtōs diēs scrībō, nōn quō prōficiam quid sed tantisper impedior — nōn equidem satis (vīs enim urget), sed relaxor tamen... Sōlitūdō aliquid adiuvat, sed multō plūs prōficeret sī tū tamen interessēs. Quae mihi ūna causa est hinc discēdendī; nam prō malīs rēctē habēbat. Quamquam <id> ipsum doleō. Nōn enim iam in mē īdem esse poteris. Periērunt illa quae amābās.

maeror -ōris *m* < maerēre
re-creō -āvī -ātum -āre = maerōre
līberāri
omnia = in omnī rē
testis -is *m* = quī adest et videt
dē maerōre minuendō = dē
maerōrem minuendō
cōnsolātiō -ōnis *f* < cōnsolārī
quīn etiam = et etiam
dē-scrībere = rūrsus scrībere
librārius -ī *m* = quī librōs dēscrībit
adfirmāre < affirmāre = certō dīcere
quō = ut eō mōdō
prōficere = adiuvāre, aliquid bonī dāre
quid = aliquid
tantisper < tantus + per = dum
impedire = abducere
tantisper impedior: tantisper (scribō) impedior (maerōrem)
vīs: vīs maerōris
urgēre = premere
relaxāre = re-quīescere
sōlitūdō < sōlus
interessēs = adessēs
Quae: sōlitūdo
hinc: ā villā meā
prō malīs rēctē habēre = bene habet
in mē = ergā mē

* * *

Litterae Latinae per se illustratae. Antibarbari: Греко-латинский клуб ВШЭ. Версия от 15.09.2023.

Подготовлено по результатам проекта «Цифровая античность» при поддержке фонда «Гуманитарные исследования» ФГН НИУ «Высшая школа экономики» в 2023 году.

Над комментариями работали:

Алексей Бочкарёв (*Tempus tantum nostrum est*),

Полина Крупинина (*Philosophandum est, Per litterās cōnsolātiō*),

Кирилл Прокопов (*Ōdī et amō, Pāstor bonus, Novus diēs, Unde sumus?, Ariadna relicta, Vīta bēata*)

Иван Соболев (*Rērum cāsūs*),

Светлана Филатова (*Tū quid?*),

Екатерина Шевлякова (*Tempus tantum nostrum est*).

Общая редакция Кирилла Прокопова и Светланы Филатовой.

Комментарий распространяется по лицензии CC Attribution — Share Alike 4.0. Эта лицензия позволяет перерабатывать, исправлять и развивать произведение при условии указания авторства и лицензирования производных работ на аналогичных условиях. Все новые произведения, основанные на лицензированном под нею, должны иметь аналогичную лицензию.